

metuo, ne secundum Hypothes. Reform. intellectum velit, qua  
præter coetera Institutionem S. Coenæ Christo tribuunt, aut non ut  
homini in unitate personæ, Scherz. Anti-Calv. p. 510. Totus nobis  
Christus est Dominus, qui DEUM nobis propitiavit, omnemque  
Gratiam ac Vitam æteram suo merito acquisivit, idem Dominus, qui  
in ipsa suæ traditionis nocte medium ordinavit, quo id omne, quic-  
quid toti mundo peperit, offerretur & credentibus applicaretur,  
quale est hoc ejus Sacramentum, quo circa & ante omnia sacrum id  
nobis, & quam maxime commendatum esse debet, eo quod à Domi-  
no ad mortem se accingente institutum est, inquit, Cl. Witsius d. l. t. i.  
Nec id solum, sed & idem Dominus ad mundi finem suum Sacramen-  
tum ipse servare, suumque corpus ac sanguinem exhibere vult, non  
secus ac loquitur Chrysostomus: *Vox Creatoris, crescite & multiplica-  
mini adhuc efficax est, ut quot annis stato tempore fructificationem Terra  
efficiat; ita vox Domini Jesu Christi instituentis suam Coenam, qui virtute  
esse minor, cum æq; hic sit divina ac infinita, quin eadem Virtus?* Gerh.  
d. l. f. 8. Form. Conc. p. 748. Captivetur hic omnis humana ratio. Lo-  
quitur enim hic Infinita Sapientia 1. Cor. i. 24. Coloss. 2, 3. quis verba  
ejus corrigeret? Loquitur infinita Potentia, quis ei poneret limites?

§. 12. Sed & porro *Dominica* dicitur Coena ratione *materiae*, qua ita men-  
sam suam instruit Dominus, ut suo nos eibet corpore mediante pane,  
& suo nos potet sanguine mediante vino. Non moramur hic Adversa-  
riorum *πολυμερῶς ἄρα*, quam quoad antequam saltem recitasse nobis im-  
præsentiarum sufficiat, qui ad scopum nostrum intenti, præsentiam  
Corporis ac sanguinis in S. Coena Jesu Christi supponimus, indeq; cum  
Paulo judicamus epulo huic omnem reverentiam id propter esse exhi-  
bendam, & videndū, quo quis digne eo fruatur, quia Immanuel noster  
in S. Coena nobis præsens est suo Corpore ac sanguine nos refecturus.  
Seponimus adeo hac vice Anabaptistarum errorem, quo fatentur, se  
videre non posse ejusmodi Communionem & unionem cum physica  
Corporis Christi substantia, quæ in Cibum Animæ cedat, uspiam in  
Scriptura finem Coenæ Dominicæ statui, aut ratione ulla solida niti,  
Apo. f. 250 b. Imo hunc ritum alioquin per se obvium ac facilem  
*vanitatis nescio cuius* suspectum, & adversariis omnibus ludibrio  
proprinatam esse, ibid. Inficiantur adeo Christum Corpore suo in  
Coena adesse, voluntque nos non Corporis ac sanguinis Christi, sed  
bene-